

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

ΘΕΟΦΑΝΙΑ.

SIVE NATALITIA
Iesu Christi, qui ante annos

1573. anno mundi 3962, Romæ 751, Au-
gusti 41. Herodis 30. præside Syriae Cyrenio 8. Calend.
Ianua. in oppido tribus Iuda Betlehem,
è virgine Maria Eli siue Ioakim
filia homo natus est.

AD VIRVM NOBILITATE,
virtute & doctrina clarissimum D. Ioan-
nem Christophorum Fuchs in V Vallenburg
Dominum & patronum suum
obseruandum scripta

à

IOANNE VRANIO ISENNA,
censi, Ecclesiæ Schuuei-
nensis ministro.



Schmalchaldiæ Michael Schmuck
imprimebat, Anno 1573.

Ex dono Nobilis dñi Christophori
Fuchs M. Johan. Stiefen possidet.

DE NATALI IESV CHRISTI.

Hispida solennem iam lucem bruma reducit,
Qua DEVS è Maria prodiit ortus homo.
Membraq; seruili specie mortalia pauper
Sumsit, ut æternas amplificaret opes.
Salue sacra dies, memoriq; notabilis æuo,
Aoniæ numeris lux celebranda lyræ.
Hæc est illa dies, Eue quam uota petebant
seria, promissi seminis usa fide.
Que fore Messiam primum credebat alumnum
Voceq; prodebat gaudia, facta parens,
Hæc pius inter Enoch liquit suspiria terras,
Et uiuus subijt regna beata poli.
Hæc est illa dies, Abraham quam cernere gestit,
Latitiam. Visa concipit ergo die.
Isacides eadem suprema prædicat hora,
Fœlici peragens festa dicata duci.
Hunc alius moto cœlorum cardine uates
Et rupta superum sede uenire cupit
Asidet ad pueri cunas seruire paratus,
Cognatoq; canit carmina grata suo.
Expectata dies hæc gentibus omnibus orta est,
A domino mundi facta satore dies.
Optauere duces magni clariq; Prophetæ,
Non auidis uoti copia facta fuit.
solibus his genitum symeon complexus in ulnis
Corporis effœti ponere gaudet onus.
Deniq; letatur præsentis luce, DEVM q;
Cœlicolum laudat lapsa caterua polo.
At non Angelici cœtus, non propria CHRISTE
Virgineo partu munera parta manent.
Nostra salus agitur generisq; redemptio nostri,
Hoc adiit propter commoda nostra, solum
Ergo patrum uotis uatumq; gregisq; superni
Iungere nos grato pectore uota decet.
Aurea iactemus lætas ad Sydera uoces,
Soluamusq; piæ debita Sacra DEO.

A. ij Frigida

Frigida quid torpent & terræ sordibus hærent ?
 Quid curis alijs obruta corda iacent ?
 Excutiat stupidum mens ignauumq; ueternum
 Quilibet ad cœlum subleuet acre caput.
 Quam sit mira DE I cum nostra copula carne
 Cogitet, ac pueri dona benigna colat.
 Sed licet humanum superans res ardua sensum.
 Angelico ueniat suspicienda choro.
 Prima tamen, nobis quæ plenius altera uita
 Subijciat, nosci uult elementa DEVS
 Ergo pia CHRISTI recolemus munera mente,
 Quæ uarijs memorat pagina sacra locis.
 A te diuulsos homines cœloq; remotos
 Aeterno socias sœdere CHRISTE tibi,
 Quod semel assumptam massam non deseris unquam,
 Perpetuo iunctæ carnis amore flagrans.
 Utq; è carne uiri, caro sunt, ex ossibus ossa
 Deuinctæ thalami perpete iure nurus :
 Sic proprij CHRISTVS non partes corporis odit,
 Conciliat capiti membra resecta suo.
 sedimus in tenebris, in mortis sedimus umbra,
 Candida lucefcit nocte cadente dies.
 Agnitio uerbi fines illuminat orbis,
 Lucis ad æternæ præmia monstrat iter.
 Educit rigido uinctos è carcere CHRISTVS,
 Restituit demto libera regna iugo.
 Liberat à legis penam statuente rigore,
 Dum legis nostro nomine iussa facit.
 Exactoris onus tollit uirgamq; tyranni
 Contundit ualida sceptræ seuera manu.
 Aduenit ut totus sit noster, & omnia diues
 Fundat in hæredes propria dona suos.
 Nascitur ille puer nobis, nostræq; saluti
 Progreditur, nobis filius ille datur.
 Nobiscum DEVS est in nobis occupat arcem,
 Nos prope, nos infra regna supraq; tenet.
 Est DEVS ad dextram, DEVS est in parte sinistra,
 Peccati domitor uictor auerne tuus,

Regis

Regia sceptrā gerit Dauidis sede locatus,
 Hostilisq; potens agminis arma premit.
 E gremio patris referat secreta sacerdos
 summus, et in ligno uictima caesa cadit.
 Hoc duce, quæ superant nostræ uestigia culpæ,
 Irrita nos soluant ulteriore metu.
 Hoc, fidum sequimur portum tutamq; salutem
 Omnibus in factis consilijsq; duce.
 Gaudia, quæ populo denunciât angelus omni,
 Magna refert, nullo cassa futura die.
 Infernæ penetrans euertit limina portæ
 Et ueteris colubri sub pede colla domat.
 Erigit è terræ demissus puluere, reddit
 Nos hominis gnatus pignora chara DEI.
 Gratia, quam pleno profudit copia cornu,
 Ob sobolem gratos efficit esse patri.
 Iustitiæ iustus sol ornamenta reportat
 Magna redemptoris nomina, remq; gerit.
 Vis extincta necis, uetus execratio nulla est
 Semine gens uno fit benedicta patrum.
 Postquam mirandum est enixa puerpera foetum
 Hæc datur excelso gloria sola DEO:
 Quod sapiens, uerax et seruantissimus æqui
 Munera iustitiæ mixta fauore colat.
 Hæc omnes hodiè ccelebrant, hic orbis ab ortu
 Mortales finis cœlicolasq; manet.
 Inde salutaris puer affert commoda pacis
 Propitio fidunt corda quicta DEO.
 Deniq; tristitiæ morsus in gaudia mutat
 Et tersis lacrymis lumina sicca refert.
 Quos uarijs rerum uicibus discrimina uexant,
 Erecti superant Immanuelis ope.
 si DEVS à nostra stat parte quis inferet arma?
 Quis dabit hostili noxia damna manu?
 An chara cum prole DEVS non omnia donet?
 Quam patrij lumen luminis astra colunt.
 Crimen in electum genus intentare quis ausit?
 Hic est qui recipit, iustificatq; DEVS.

Quis damnabit? ubi Christus sese obtulit agnum,
 Qui mortem subiit, morte reuixit, adest.
 Qui patris ad dextram pro nobis supplicat, hic est,
 Euge quis auellet nos ab amore DEI?
 An dolor, ærumnæ tristes, crucis anne palestra?
 Exilium, gladius, seu pericla, fames?
 Rebus in his per eum, qui nos dilexit abunde,
 Vincimus, & sequimur læta trophæa ducis.
 Sed ne plura sequar, CHRISTVS fit scala, solutus
 Quam pius Isacides membra sopore uidet.
 Scala premit terram, tangitq; cacumine cœlum
 Et iungit superis inferiora locis.
 Induit humanam CHRISTI natura perennis
 Associans homines hac ratione DEO.
 Vnicus insistit scalæ dominator Olympi
 Cumq; suis membris unicus astra subit.
 Angelus hic imum, summum petit angelus alter
 Verbi præcones cœlica turba notat.
 Innixi scalæ penetrant ad sydera, cœlo
 Qui gradibus spretis tentat adire, caret.
 Vt paucis igitur dicam semel omnia uerbis,
 Perpetuæ uitæ munera CHRISTVS habet.
 Nascitur urbe carens charisq; penatibus exul
 Vt præstet populo patria tecta suo.
 Nascitur in specie serui, quò liberet omnes
 seruitio, dominos efficiendo Stygis
 In terras cœlo migravit, ut incola terræ
 Succedat cœlo puluere factus homo.
 Collegi breuiter partus benefacta stupendi
 Qui reparata pijs aurea secla uehit.
 Cuncta quis exiguo posset comprehendere Versu,
 Hic sumus infantes, balbaq; lingua stupet.
 Iam locupletati tantarum munere rerum
 Qualia reddemus munera CHRISTE tibi?
 Præmia ferre decet, sed quomodo digna feremus?
 Ostendunt rudibus præuia signa Magi.
 Commendant, animus sapiens animosq; uirtus,
 Iustitiæ studium, sobria Vita, magos.

Chaldeos

Chaldaeos alij Vates, Drufidasq; Vocabant,
 Assyrijs idem Gymnosophista fuit.
 Hi decimum quartum postquam rex persicus annum
 Complerat, iuueni dogmata sana dabant.
 Quattuor electi regali sede uacante
 Rexisse imperij saepe leguntur opes.
 Ex Abrahæ natis longaq; propagine nacta est
 Notitiam ueri persica terra DE I.
 Cum Daniele legens aliorum scripta, recepit
 Isacidae uoccs & Balaame tuas.
 Ergo noui regis cum stella ostenderet ortum,
 Eõi Solymas hac præeunte petunt.
 Regi gratantur, regem thesaurus honorat,
 Accipiunt ultro mitia iura ducis.
 De numero dubium est, pars tresq; decemq; fuisse,
 Tres alij solum per tria dona putant
 Non insulsus homo (quisquis fuit ille facetus,)
 His tribus imposuit nomina certa Magis
 MELCHIOR illustrem designat nomine regem
 Quo sapiens speculo mens pietasq; micant.
 De tali titulo ueneranda corona monetur
 Cum uidet ardentis regia pompa faces
 Militiæ dominus censetur BALDASAR, omen
 CASPAR habet scribæ consilijq; ducis
 Has quicumq; gerunt partes, procumbere flexis
 Infantis genibus conuenit ante pedes.
 Non proprium querant leuis ambitionis honorem
 Non sua neglecta commoda lege parent.
 Quod superest igitur, demisso crure uoluti
 Portemus memores debita dona DEO
 Diuitias auri, pretiosi thuris odores,
 Et pinguem myrrham terra Sabæa dedit.
 Synceram radians doctrinam denotat aurum,
 Purius & fidei sole micante iubar.
 Vera fides affert insignia gaudia cordi
 Quod partes alias corporis ante uiget.
 Vera fides multo sensim fit pulcrior usu
 Ex anima tollit semina dira lepræ.

Mollia

Mollia thura preces & uota flagrantia pingunt
Vis quibus ante DEVM suavis odoris inest.
Deniq; myrrha, monet, patientes simus, amara,
Et crucis inuicti sustineamus onus.
Sumamus calicem, quem dat diuina, salubrem
Dextra DEI laudes lingua parata sonet.
Hec ubi dona DEO dedimus, regione uiarum
Diuersa, patrios quisq; reuisat agros.
Non simulatorum commercia praua sequamur
Cauti declinent impia facta pedes.
Immanuel casus inter comitabitur omnes
Et nos ad superum limina ducet, AMEN

FINIS.

Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





ΘΕΟΦΑΝΙΑ.
SIVE NATALITIA
Iesu Christi, qui ante annos

1573. anno mundi 3962, Romæ 751, Au-
gusti 41. Herodis 30. præside Syriae Cyrenio 8. Calend.
Ianua. in oppido tribus Iuda Betlehem,
è virgine Maria Eli siue Ioakim
filia homo natus est.

AD VIRVM NOBILITATE,
virtute & doctrina clarissimum D. Ioan-
nem Christophorum Fuchs in V Vallenburg
Dominum & patronum suum
obseruandum scripta

à
IOANNE VRANIO ISENNA,
censi, Ecclesiæ Schuuei-
nensis ministro.



Schmalchaldiæ Michael Schmuck
imprimebat, Anno 1573.

Ex dono Nobilis dñi Christophori
Fuchs M. Johan. Schuuei Possidet.